


RR  
385.  
5.

(X 1883888) 3888  
**HENRICI MEIBOMII**  
**HISTORIARVM PROFESS.**  
**PVBLICI ORDINAR.**

II n  
1510

# PROGRAMMA LECTIONIBVS PVBLICIS *De periodis Historiae Germanicae* Cum Historiam Civilem novissimo- rum duorum seculorum auspicaretur præmissum.



*HELMESTADI,*  
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.  
Anno ccl xci XCVII.

GERMANIA LIBERTATI  
224555 LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF DUBLIN

ANNA READING LIBRARY

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF DUBLIN

QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST  
UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST

UNIVERSITY LIBRARIES  
QUEEN'S UNIVERSITY BELFAST



# HISTORIÆ GERMANICÆ

*amatoribus*

HENR. MEIBOMIVS

S. P. D.



Onsideranti mihi totius Germanicæ Historiæ seriem , videtur illa non incommodo in Decem Periodos dispesci posse: quarum prima ab antiquissima Germanicarum rerum memoria usque ad Julii Cæsaris tempora extendatur. IIda, res sub Julio Cæsare , Augusto , Tiberio , eorumque successoribus ad Constantinum M. usque, tribus fere seculis , à Germanis & in Germania à Romanis aetas compleetatur. IIIItia Germanicarum gentium motus, irruptionesque in alias terras , novorumque in illis regnum erectiones , aliarumque vicissim gentium in vacuas sedes transitus consideret , ad Pipinum usque Caroli M. patrem. IVta, à seculi VII. medio ad X. usq; initia, Caroli M. & Carolingorum in Germania bella, regimen, novorumque

A 2

rumque

rumque regnum, Germanici imprimis, exortum  
comprehendat. Vta, à seculi X. initio ad sec. XIII. me-  
dium, ab Ottonibus per Henricos, Fridericosq; Cæsares  
decurrans in Friderico II. terminetur. VIIta, turbulen-  
tum illud Germaniæ, seculi integri Règnum, an inter-  
regnum? variis obortis Cæsaribus, collapso pœne, sed  
aliquantum per Rudolphum I. & Henricum VII. resti-  
tuto Imperio, ad Carolum usq; IV. consideret. VIIma,  
à Carolo IV. ad usq; Maximilianum I. quando solus is  
post patrem regnare cœpit, decurrat. VIIIva, integrum  
seculum, resque Carol. V. Ferdinandi I. Maximiliani  
II. & Rudolphi II. usque ad Matthiam comprehendat.  
IXna, in Ferdinandi II. & III. bello ferali intestino, pace  
tandem facta, sed mutationibus maximis inde in Ger-  
mania natis, hæreat: Xma denique res sub Leopoldo  
Augusto gestas, variis eventibus notabiles, compre-  
hendat, & cum seculi hujus decurrentis terminis finiat.  
Ita enim rectius, quām per secula, servato interim tem-  
porum ordine, tradi Historiam Germanicā posse existi-  
mem, cum, quæ intra illas periodos facta legimus, ita in-  
ter se, civili nexu, cohærent, ut, si, quod in Historia fie-  
ri omnino par est, non eventum tantū ipsum, sed & cau-  
fas & consilia & occasiones scire velimus, omnia simul  
cognosci debeant, quæ certo temporis intervallo conti-  
gerunt; Magnæ enim mutationes rerum raro subito  
eveniunt, sed per intervalla & quædam quasi spiramen-  
ta temporum, latente interdum per lustra & decades,  
vel suppressa, tandem vero erumpente flamma, quæ  
inferre terris damna & mutationes possit, quod in Re-  
ligionis negotio superioris seculi, & in nostri hujus  
tricennali bello imprimis patuit, quorum cauſæ al-  
tius,

tius, nec ab illis, quibus ad tumultus & prælia ventum est, annis repetendæ sunt. Has igitur decem Periodos in antecessum percurrere libet, & quæ in iis ad civilem usum imprimis consideranda sint, quibusque ex monumentis peti ea imprimis debeant, breviter annotare.

Prima illa & antiquissima vel fabulosa, vel obscura admodum, vel parce nimis, leviterque, exposita est. Ne terrarum quidem situs, vel distincta populorum nomina, multo minus res pace gestæ, & reipubl. ratio, leges, moresque sciri possunt: deputandumque est in lucro, si quid de migratione instituta, bello suscepto, Ducibus, præliis, clade vel victoria discere licet. Germani hominis, qui seculo jam nono vixit, verbis hac in re utar, monachi *Otfredi* scilicet, in Epist. ad Luitbertum Archi-Episcopum Moguntinum, *nec historias suorum antecessorum, ut multæ gentes cæteræ, commendant memoriæ, nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore*, Carmina quidem apud illos Annalium genus erant, quibus Heröes suos & bella canebant: ab illo tamen ævo nec hæc supersunt, cum litteris non mandarentur, sed à patribus ad filios nepotesque, per frequentes in conviviis cantationes, memoriae tantum mandarentur & ita ad posteros pervenirent. Scio de his in diversa abire eruditos, & hos quidem nihil ejusmodi carminibus tribuere, illos aliquid, quosdam nimium, &, hos, dum deficiunt monumenta, statim ex carminibus supplere; quos si sequaris, à Tuiscone inde usque ad Ariovistum, Regum Germanicorum seriem integrum, fabularesque Genealogias, usque ad ineptias & derisum, habere possis:

sis : cum non tantum ficta sint ipsa illa nomina , sed etiam sub uno , eodemque Rege , omnes Germanicas gentes concludere velle tam à vero absit , quām anilis quivis βαυκαλισμὸς ab eo recedit longissimè . Interim hoc largior , in illis antiquissimis & alias incognitis rebus credi utique illud debere , quod gentes quælibet per carmina , & à majoribus ad nepotes perpetua fama conservarunt . A quo igitur tempore supersunt illa Germanicarum gentium carmina ( non habemus autem nisi Longobardica vel Gothicæ , quæ antiquissima sunt , reliqua ævi longè sequioris ) non negligenda sunt , cum , si non integras nobis historias , tamen de Heroibus illorum , vita & rebus gestis , præliis imprimis , deque gentium migrationibus quædam doceant . Credere id cogimur Jornandi *de rebus* Geticis , qui postquam capite 4. de Gallorum migratione disseruisset ; quemadmodum , inquit , *& in priscis eorum carminibus* , pene historico ritu , in commune recolitur . Opponit *bistoricum ritum* ut arbitror , poeticomori , ut vel veritati , vel decenti narrationi nihil pene defuisse in illis carminibus intelligas . Paullus etiam Warnefridus de gestis Longobard , l. i. c. 27. argumentum nobis eorum recenset , cum apud Bajoariorum gentem & Saxonum , aliosque ejusdem linguae homines , Alboini Regis liberalitatem & gloriam , bellorumque felicitatem & virtutem in eorum carminibus celebrari scribit . Quemadmodum igitur Cicero in Bruto optat , extare illa carmina , quæ , multis seculis ante suam ætatem , in epulis esse cantita , à singulis convivis , clarorum virorum laudibus , in originibus suis Cato scripsit ; sic ego quoque optarem , ut

ut quæ Germanicæ gentes de suis Heroibus, sive in conviviis, ingenium potu faciente, sive in apparatu funebri ex doloris magnitudine, (quale illustre exemplum apud *Jornandem* est de Attila cap. 49.) cecinerunt, ad nostras manus pervenissent; optarem, ut antiquissima illa carmina, quibus veterum Regum adus & bella cantabant. quæ *Carolum M.* scripsisse meroriæq; mandasse, Eginhartus refert in ejus vita, hodieque extarent. Optarem, inquam, hoc, & adepta venerarer, ceu sacra vetustate loca, quæ non tantum habent speciei, quantum religionis. In hac tamen prima, de qua nunc ago, Periodo, juvare vix possent, cum scripta non fuerint; ut vero, nullis litteris, sola memoria ad posteros, sine rerum, nominum, & temporum, personarumque perturbatione pervenerint, verosimile non videtur. An igitur jacturam illam solam per externos scriptores, Græcos, Latinosque, penes quos jam tum litteræ, supplere possumus, dispicendum nunc fuerit? At ex Græcis quidem nihil promittere licet. Quæ enim ab illis de Celtis & Celto Scythis narrantur, nimis tenuia sunt & confusa. Ab Aristotele quidem & Hercynii montes memorantur, & de animalibus apud Celtas alicubi in historia sua animalium mentionem facit: quin, si libellus περὶ θαυμάτων. αὐτοῦ. non mentitur auctorem, stanni quoque Celtici notitiam habuit, videturque illud per commercia translatum. Stannum tamen illud non Germanicum sed Britannicum fuisse, probabiliter conjicit Cluver. l. i. Germ. vet. Britanniam vero *Græcis monumentis claram* fatetur *Plinius* l. 4. c. 16. Longè dein post Pytheas Masfilensis, qui & ipse peregrinatus est, & periplus scripsit, succini meminit, quod solos omnium Germanos legere

re



re *Tacitus* scribit, quodque ipse apud *Gutbonos* gentem  
itidem Germanicam, *fluctibus ad venum legi*, & proxi-  
mis *Teutonis vendi*, testatur apud Plinium. Quam-  
vis igitur aliquam Græci quoque per commercia ha-  
buerint Germaniæ notitiam, tamen & levis illa fuit, &  
quorundam tantum maritimorum locorum, nec quic-  
quam illius hodie supereft. Nec Romani de illis ali-  
quid memoriæ prodiderunt, antequam per illorum  
in provincias Romanas irruptiones suis damnis eos  
cognoverunt. Cimbrico bello eos primam Teutonorum  
notitiam accepisse nonnulli existimant: verum, si ea,  
quæ de Cimbrorum adventu *Plutarchus in Mario* dis-  
serit, diligentius perlegamus, facile apparet, non planè  
ignotos antea Germanos fuisse, cum ex corporum pro-  
ceritate & cæsiis oculis, Cimbros Germanicam gentem  
esse conicerent, & Cimbrum Germanica lingua latro-  
nem denotare jam tum scirent. Cimbri igitur tum  
primò, & illorum arma cognita sunt. Et hujus proin-  
de Cimbrici belli, quod gens illa, Teutonis, Tiguri-  
nis & Ambronibus juncta cum Romanis gessit, in hac  
prima Periodo consideratione dignissimum est. Stri-  
ctim & veluti per puncta, mira brevitate id complexus  
*Tacitus. l. de Germ. c. 37.* ita scribit: *Sexcentesimum &*  
*quadragesimum annum urbs nostra agebat*, cum primum  
*Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio*  
*Carbone Coss.* *Ex quo si ad alterum Imperatoris Tra-*  
*jani consulatum* (quo scilicet illa Tacitus scripsit) com-  
putemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur.  
*Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spa-*  
*tio multa in vicem damna. Non Samnis, non Pœni, non*  
*Hispaniæ Galliæve, ne Partbi quidem sæpius admonuere,*  
*quippe*

quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas.  
Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi , amissio & ipse  
Paboro, infra Ventidium dejectus oriens objecerit ? At  
Germani Carbone & Casio & Scauro Aurelio & Ser-  
vilio Cepione , M. quoque Manlio fusis vel captis , quinque  
simul consulares exercitus populo Romano abstulerunt.  
Non quidem tum Latinis litteris , ut Cicero in Bruto  
scribit, historicæ scriptionis genus erat illustratum , &  
de Cimbris quæ dicuntur, quædam non benè, alia me-  
diocri probabilitate referri scribit Strabo l. 7. Cim-  
bricum tamen illud bellum descriptisse in suis Annali-  
bus Q. Claudio Quadrigarium, & Q. Valerium An-  
tiatem novimus, quamvis neuter extet hodie : Vale-  
rium tamen Antiatem adhuc sec. V. initio superfuisse  
ex Orofii l. 5. c. 16. observavi, qui numerum Romanorum  
, bello Cimbrico cæsorum, ex eo refert. Cicero  
quoque municipis sui Marii res gestas scripsit. Et po-  
stea Plinium majorem viginti voluminibus omnia  
bella, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, exposuisse  
ex Plin. Jun. epist. V. l. 3. discimus. Periisse vero omnes hos  
libros, & Plinii quoque, id Romanorum posteriorum  
invidiæ tribuendum putat Cl. Pircbaimerus in Explic.  
Germaniæ , qui propriæ gloriæ studiosi incommoda  
à Germanis accepta callide tegere , quam cum laude  
eorum propalare voluerint. Ciceronis tamen illud  
opus non extare, minus dolemus , cum carmine scri-  
pserit, & ipse in eo , non ut à teste veritatem , sed ut  
à poëta exigivoluerit. Interim , quæ vel ex memo-  
ratis scriptoribus vel aliunde habuerunt Cæsar , Vel-  
leius Paterculus , Plinius , Plutarchus , Florus , Eu-  
tropius , Orosius , ea omnia ad illam irruptionem ,

B

bellum-

bellumque pertinentia non doce te minus , quām copiose exposuit nobilis Historicus Job. Isaacus Pontanus , peculiari de Cimbrico bello dissertatione , quarti Historiæ suæ Danicæ præfixit , seorsim legi dignam . Notandum vero , abiisse tum quidem Cimbros , à Romanis pulsos , non patrias tamen repetiisse sedes , sed , uti ituri in Galliam & Italiam impedimenta sua ad Rhenum cum sex millibus reposuerant , ita redeuntes prioribus illis iterum se junxisse , & in Aduaticis sedes sibi fixisse . Quamvis etiam nullæ penes Cimbros litteræ , nec scripti Annales , habuerunt tamen hujus suæ peregrinationis , & datæ acceptæque clavis , memoriam , ab avis ab nepotes traductam , ideoque post integrum seculum , imperante Cæsare Augusto , lebetem miserunt , qui apud ipsos sacerrimus habitus , amicitiam expetentes , & veniam illatarum injuriarum , eamque consecuti domum redierunt legati , ut narrat Strabo . Geogr . l . 7 .

Verū ad secundam nunc Historicæ Germanicæ Periodum properandum est . Sub cujus initia innotescere magis magisque Germania cœpit Romanis , illorumque Scriptoribus debemus , quicquid ad nos notitiæ pervenit : nec dubium est plures de rebus Germanicis scripsisse , immensam tamen prodentium discordiam esse Plin . hist . nat . l . 4 . c . 12 . fatetur , quæ rerum non satis exploratarum esse conditio solet . Innotuerunt tum per bella & iPhōδas , Ιας ιιστήν ι Ιαλίαν ut loquitur Strabo , & finitimi quoque per commercia , ( quæ nulla omnino Germanis fuisse , nemo temerè dixerit ) imò , jam tum Cæsarem in bello civili contra Pompejum inter auxilia delectus Germanicos habu-

habuisse , ex *Floro & Lucano* discimus. Id quod de-  
inde frequentissimum fuit , ut Romanis Germani mi-  
litarent , etiam contra ipsas Germanicas gentes. Ut  
quoque pro Custodibus corporis præ aliis gentibus à  
Cæsaribus legerenter Germani , proceritas , robur ,  
& fides eorum faciebant . unde & in Marmoribus anti-  
quis GERMANOR. CORP. CUSTOD. mentio fit.  
Sic igitur Romani sensim majorem notitiam patriæ no-  
stræ rerum acceperunt , in tanta tamen Germaniæ la-  
tè porreßtæ magnitudine , non æque omnia patue-  
runt , & multis postea annis Germaniam nec totam Ro-  
manis percognitam fatetur *Plin. H. N. l. 4. c. 14.* & quæ  
ultra ALBIM ad Oceanum sunt loca , prorsus ignota non  
dissimulat *Strabo l. VII.* qui ibidem plures sub Augusto  
cognosci gentes potuisse arbitratur , si ille permettere  
militibus voluisset, ut transmissio Albi eò rebellantes per-  
sequerentur , id quod minus tutum judicavit , irritare  
quietas gentes nolens. Qui igitur Rheno propiores  
Germani , maxime illis cogniti fuerunt , & qui intra  
illum degerunt , omnes quietos Romanis paruisse ,  
scribit iterum *Strabo.* Et ille Rhenus vetus terminus  
fuit , eumque insederunt Romani , non tam , ut Ita-  
liam tuerentur , (quamvis & hoc aliquo modo) quam  
*ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur* , ut  
loquitur Petilius Cerealis apud *Tacitum Histor. l. 4.*  
*c. 73.* Sæpe quidem ultra Rhenum arma sua protule-  
runt Romani , nec tantum ad illum , sed & in hostico ,  
castella extruxerunt , verùm nec diuturnum id fuit ,  
nec sine cladibus eorum , mansitque interea Rhenus  
inter utramque gentem limes. Hinc post Varianam  
in Westphalia cladem *Florus* factum scribit *l. 4. c. 12.*

B 2

ut

ut imperium , quod in littore Oceani steterat , in ripa  
Rheni fluminis staret : ideoque prudentius , ut solet , &  
verius , *Tacitus* vocat tantum reverentiam , dum in  
*German.* c. 29. de suo ævo scribit , Populi Romani  
magnitudinem ultra Rhenum , ultraque veteris impe-  
rii terminos reverentiam protulisse ; liberius autem apud  
eundem in *Agricola* c. 15. Britanni de Germanis a-  
junt , excusisse jugum , & flumine non Oceano defendi ,  
quod idem antea *Florus* dixit. Quo magis igitur ad  
interiora Germaniæ armis suis Romani , volventibus  
annis , penetrarunt , eo majorem notitiam Patriæ  
nostræ acceperunt , estque proinde illa ex scriptoribus ,  
quires Cæsarum Romanorum per hæc tria secula scri-  
pserunt , petenda. Nec ea tantum , quæ Germanis cùm  
Romanis , sive belli , sive pacis tempore , intercesserunt  
negotia , inde petenda sunt , sed & quicquid inter ipsas  
gentes Germanicas actum , quæ inter se illi bella gesse-  
runt , quæ gentes his illisve locis federunt , quæve il-  
lis expulsis successerunt. Neque enim ut fratres se ge-  
rebant semper , nomenque Germanorum mereban-  
tur ; sed inter ipsos dissidia & bella varia erant. Quic-  
quid vero hac de re scimus , ipsis etiam scriptoribus  
Romanis debemus. Neque enim incuriosi spectato-  
res bellorum illorum civilium fuerunt Romani , quæ  
in maximam eorum utilitatem vertebant , ideoque &  
enarrant ea *Cæsar* , *Tacitus* , *Strabo* , & alii. *Dio Cas-  
sius* l. 54. in expeditionis Drusi enarratione , eum in  
Cheruscorum regionem ad Visurgim usque processisse  
scribit , idque , ut ipsi liceret , Sicambrorum in Chat-  
tos totius populi viribus factam expeditionem effe-  
cisse , fatetur. *Tacitus* , qui l. 2. *Annal.* c. 44. in genere  
de

de Germanis notat , eos externo metu vacuos in se armavertere , idque *assuetudine gentis* , idem in *Germania c. 3.* Bructerorum ex suis , quæ infederant , locis , vicinarum consensu nationum , cæsis sexaginta milibus , expulsionem , Chamavorumque & Angrivario- rum successionem , spectantibus Romanis , narrat , favoremque in eo Deorum agnoscit , & memorabili voto concludit : *maneat , quæso , duretque , gentibus , si non amor nostri , at certè odium sui , quando jam , urgentibus imperii fatis , nihil præstare majus fortuna potest , quam hostium discordiam.* Ad dissensiones igitur inter se concitarunt quoque Germanos callidiores Romani , quod de Druso scribit *Tacitus Annal. l. 2. c. 62.* & Ti- berius in Epist. ad Germanicum , suis dissidiis eos relin- quendos suadet . In quam rem egregie differit *Job. Isaacus Pontanus in Epist. ad Willichium.* Non desunt igitur in hac Periodo secunda Scriptores idonei , qui res nostras , licet tantum , quâ Romanis connexæ , egregie & pudenter narrant , & virtutes nostras , bel- licas imprimis , nec minus tamen vitia quoque , expo- nunt , ut *Julius Cæsar , Plutarchus , Florus , Suetonius , Plinis , Dio , aliique , qui in primo hujus periodi seculo consulendi sunt . Strabo l. 7. dum triumphum Ger- manici Junioris enarrat , Duces & illorum uxores , & liberos , & fratres , & sorores , ita sigillatim enarrat , ut quandam inde genealogiam contexere liceat . Tacito , Galliæ Belgicæ sub Vespasiano procuratori , plurimum debemus , quod non tantum peculiari libello Germa- nicarum gentium differentias situm , mores , & omnem vivendi rationem curatè descripscerit , sed etiam reli- quis libris suis , Germanorum , ad Rhenum imprimis ,*

res gestas cādide exposuerit , secus quām ille Domus  
Augustæ adulator *Vellejus Paterculus*. Quamvis  
enim sub Augusto Romanorum arma gravissima sen-  
serint Germani , & Germaniam provinciam facere in  
Julii Cæsaris honorem , qui primus in ea bellum quæsi-  
verat , facere voluerit , ut *Plinius* loquitur , & præcla-  
re se Duces ejus Drusus & Germanicus gesserint , Tibe-  
riusque novies ab Augusto in Germaniam missus , hu-  
jusque per annos continuos vel præfectus , aut legatus ,  
operumque spectator aut adjutor fuerit *Vellejus Pater-  
ulus* , ideoque hæc omnia exponere maximè idoneus  
extiterit , tamen veritatem vel occulit , vel velat , vel  
rem aliter narrat , ut Tiberio placeat , ipsis Germani-  
ci viatoriis in gratiam Tiberii dissimulatis. Nec proin  
illa ejus , declamatore quam Historico digniora , de  
rebus sub Tiberio gestis verba , veritati consentanea  
credimus : *perlustrata armis tota Germania est. Vida  
gentes pene nominibus incognitæ* , cum ex superioribus  
jam contrarium pateat , & ipse Tiberius in Epist. ad  
Germanicum , apud *Tacitum lib. 2. Ann. c. 26.* *se plura  
confilio , quām armis effecisse fateatur.* Verum , cum  
sub primis illis Cæsaribus in terris inter Rhenum & Vi-  
surgim , ad Alisonem & Lupiam , Romani & Germani ,  
illi de gloria , hi de libertate certaverint , fluviique hi  
illorum sangvine alternatim cruentati fuerint , omnia  
illa utrimque gesta ex idoneis scriptoribus collegit & il-  
lustravit , suisque *Monumentis Paderbornensibus* infe-  
ruit æternæ , etiam inter eruditos , memoriæ princeps  
*Ferdinandus* Episcopus Paderbornensis & Monasteri-  
ensis. Cum quibus conjungi merentur , quæ ex omni-  
bus superstribus Historicis . *Spartiano, Capitolino, Lam-  
pridio,*

*pridio*, aliisque, superioribus tamen planè non æqui parandis, maxima industria congesit. *Ægidius Buckerius* in suo *Belgio Romano libris oīo* prioribus, reliqua enim ad tertiam periodum spectant. Ex quibus quidem inter tam varia bella, triumphatam sæpius Germaniam, nunquam tamen victam, & mansisse *Rheni caput in domitum*, ut *Lucanus l. 2.* canit, patet. Evidem, non castella tantum per Rhenum & Mosam, sed & Albim & Visurgim extruxerat Drusus, præfidiisque & custodiis munierat, & subsequentes quoque Cæsares in Germania Trans-Rhenana id egerant, reparavitque ea *Trajanus*, ut *Eutropius* scribit: Verum ad tutelam provinciarum, & compescendis magis, quam subigendis Germanis apta erant. Magna etiam contra Germanos expeditio, magna felicitas Probi Imperatoris fuit, cæsis eorum quadringentis millibus, & sedecim millibus aliorum abductis; visum tamen, ut *Vapiscus* loquitur, non posse eos subigi, nisi limes *Romanus extenderetur*, fieret Germania tota provincia. Id verò nunquam factum est. Ideoque, quæ satis de se magnifice ad Senatum scribit Probus: *Subiecta omnis, qua tenditur, Germania*, & dein: juga Germanica *captiva præbent nostris collacultoribus*, partim vera non sunt, partim de iis terris intelligenda, quæ in Gallia Germani tum occupaverant. Sed & post Probum omnia mox valde mutata sunt.

Verum jam ad Tertiam Periodum nobis prope randum est. In qua maximè notabiles sunt Germanicarum gentium in Romanum Imperium factæ immigrations, non eodem tamen semper eventu. Nam alibi quidem repulsæ, alibi temporaneas sedes, multorum etiam annorum, nec eadem gentes, alibi quietam

etam sibi & æternam, ut in Gallia, invenerunt. Constantinus quidem Magnus sub initium Imperii sui, cum Francorum atque Alemannorum Reges gravi prælio fudisset, & captos bestiis in Amphitheatro objecisset, cum Bructeros subita invasione oppressisset, & multa Francorum millia, qui Bataviam, aliasque ad Rhenum terras invaserant, depulisset, abduxissetque, magnum Germanicis gentibus metum injecit, incursionsque illorum inhibuit: si tamen vel ipsis Panegyristis, *Eumenio & Nazario*, cuncta ex artis suæ legibus in majus extollentibus, omnia credamus, quæ ampullosis verbis de Constantino ja&tant, mansit Rhenus imperii limes, nec audet nisi timide ista scribere Eumenius: *ne Rhenum quidem audent accolere, & vix securi interiora flumina potant.* Et hunc etiam Rheni limitem cum ipse, tum per filium Crispum, quando Franci Alemanniæ acceptis cladibus non fracti, sed asperati, novas invasiones fecerunt, servavit Constantinus. In quarum victiarum memoriam, lætitiamque Romanorum, cusus tum est Treveris nummus, in cuius uno latere Constantinus cum globo, in quo victoriola, in averso Tropæum cum duobus captivis adiacentibus, cum hac circumscriptione, GAUDIUM ROMANORVM, & infra: FRANCIA & ALAMANIA: qui rarissimus nummus in incomparabili Gaza Illustrissimi Comitis ac Domini, Dn. ANTON. GUNTHERI COMITIS IN SCHWARTZBURG, Domini mei gratiofi, asservatur. Verum non diuturnum admodum fuit illud Romano-rum gaudium, interveniente deinde Imperii in Orientale & Occidentale distributione, inter filios Constantini

tini divisione, & finium Imperii contra Germanos  
à præsidiariis legionibus denudatione, quam ipsi qui-  
dém Constantino M. *Zozimus*, Magnentio vero *Julia-*  
*nus* Imperator *Orat.* i. p. 35. tribuit, & sigillatim de  
Urbibus & Castellis Rheno proximis, præsidiis ea  
destituta (ἀΦύλακτος) & Barbaris exposita relicta esse  
scribit: ubi illustris *Ezechiel Spanhemius* in eruditissi-  
mis notis, illam præsidiorum avocationem, imò in-  
vitationem Germanicarum gentium in terras Roma-  
norū, ipsi Constantio quoque deberi, rectè notat.  
Verū in illo dein Magnentium inter & Constantium  
in Pannonia prælio, (ad quos prior Francos, Saxones,  
ultraque Rhenum & occidentis mare habitantes for-  
tissimas gentes attraxerat, ut ibidem *Julianus* me-  
morat,) ita Exercituum Romanorum, cruentissima  
utrinque strage, robur concidit, ut animus viresque  
Germanis ad repetendas suas excursionses, redierint  
felici profectu, Gallia imprimis miserè à Francis  
vastata, eversis oppidis XLV, castellis & burgis mi-  
noribus ne quidem computatis: cui malo aliquod  
deinde remedium attulit, Rhenanique tractus civita-  
tes, & ipsam etiam Coloniam Agrippinensem rece-  
pit, & pacem petere Germanos Julianus coëgit. In-  
terim ex eo tempore continuare excursionses suas va-  
riis in locis, terra marique, ut Saxones imprimis,  
cæperunt, &, non sub uno Romanorum Imperato-  
re, Franci præsertim sub Valeriano & Gratiano, feli-  
ces progressus fecerunt. Et memorantur illa magnam  
partem ab egregio Scriptore *Ammiano Marcellino*,  
Græco quidem, sed rerum quoque Germanicarum  
peritissimo, quippe, qui sub Constantio & Juliano

C

Augg.

Augg. stipendia meruit, quem proinde ut ab omnibus Germanis Gallisque evolvi dignissimum, certatim Germani, Galli, Belgaque uberrimis commentariis eleganter illustrarunt, *Lindenbrogius*, *Valesius*, *Gronovius*, viri excellenter docti. Et ex eo, aliisque omnibus idoneis monumentis, easdem excusiones descripsit, is, quem supra laudavi, *Bucherius in Belgii Romani libris posterioribus*, & fusissimè in Tomis Germanicæ Historiæ præliminaribus, haetenus tantum editis, illustris & magnæ quondam dignitatis Vir *Jobannes Philippus à Voorburg*, & in hac nuper Academia V.CL. *Johannes Werlhofius*, Juris omnis & historiæ peritisimus, in *Notitiæ S. Romani Imperii enucleatæ specim. II.* ubi Francorum imprimis res explicat. Nec minus vero reliquarum gentium Germanicarum, Septentrionalium, in Romani imperii terras irruptiones, Gothorum, Vandalorum, Longobardorum, in hac Periodo secunda, consideratione dignissimæ sunt. Et memoratæ quoque ab optimis Scriptoribus ad nos pervenerunt, ut *Procopio Cæsariense*, viro rerum usu pollente, & Belisarii individuo comite, *Agathia*, *Jornande*, *Paullo Diacono*, Longobardo : ex quibus, aliisque, ut *Cassiodori Formulis* quoque, ipsam eorum Rempubl. discere licet, legesque, etiam hodie superstites. Quibus tamen legendis præmitti velim illam πολιτικάταν & incomparabilem *Hug. Grotii* Introductionem in Historicæ Vandalicæ Scriptores à se editos, quibus non tantum Septentrionalium illarum gentium ortus, progressusque compendio exponit, sed illorum quoq; mores, & cultissimi clementissimiq; imperii formam, & leges optimas considerat, cumq; aliis aliarum

aliarum gentiam subtilitate, varietate, in constantia,  
& in nimia mole perplexitate laborantibus confert;  
adductis tandem etiam causis, quæ mutatis moribus,  
excidia illorum potentium regnorum procurarint.  
Egregie verò etiam, & temporis ratione accuratè ob-  
servata, omnes illas Barbarorum, ut appellabant  
Romani, irruptiones in Italiā ad Ottonis usque Ma-  
gni tempora exposuit *Erycius Puteanus* in Historia  
Insubrica seu Barbarica cuius ultima imprimis edi-  
tio, ab ipso plenis commentariis illustrata, commen-  
dari meretur. Neque vero tantum, quas cum Ro-  
manis res habuerunt, Germanicæ gentes, sed etiam,  
quæ inter se bella gesserint, & quomodo sese invicem  
sedibus suis expulerint, & sedes ubi fata quietas tan-  
dem dederint, scire par est. Neque enim vel Franci  
Gallia occupata quieverunt, sed mox sub Rege Clo-  
dovæo potentiores, nomen suum ipsi occupatæ terræ,  
abolito veteri, imponentes, occasione ab Alemannis  
data felici ad Tolbiacum pugna, Alemanniam strenue  
haetenus libertatem suam contra Romanos defenden-  
tem, tributis magistratibusq; impositis, sibi subjece-  
runt. Nec minus à littoribus Occani Saxones progressi  
Romanis terra aut mari graves erant, aut cum aliis po-  
pulis juncti terra eas invadebant, tum ipsas passim  
Germanicas gentes, Chaucos primum, dein Sicam-  
bros, Ampsivarios, Cheruscos, Marsos, vel expule-  
runt suis terris, vel reliquias illorum in suum transire  
nomen fecerunt, Thuringiæ quoq; parte occupata. Un-  
de mox tanta illorū fama, & potentia, ut à Narsete in Ita-  
liam ituro vocati, plusquam viginti millia virorum eo  
mitterent. Cum Francis interdum societas ipsis & ami-

citia, s<sup>æ</sup>pius bella, quæ frequentiora, quo magis utriusque populi potentia crevit, æmulatione stimulante. Sed hæc ad Periodum Quartam pertinent, & de Saxonibus alias pluribus egi *Introductione in Historiam Saxon. Inferioris.* Nunc id tantum noto; cum Vandali ad Balthicum mare illis suis variis, supra relatis, expeditionibus, terras suas exhausissent, Venedi, Sarmatica gens, ex Livonia & Russia, omnem illum terrarum tractum à Vistula usque ad Albim suis colonis impleverunt, natione, lingua, moribus dissimilibus. Qui sensim quidem & sine streptu accedentes, augmentata men, locorum mox novis sedibus patefactis, immensa capientes, & Romanis in suis terris, & diu post etiam Germanorum Regibus, graves fuerunt: de quibus legi merentur, quæ ad c. 2. l. 1 *Helmodi doctissimus Bangertus* commentatus est.

In IVta Periodo Carolingica, centum circiter & quinquaginta annorum, plurimæ mutationes maximè memorabiles, quæ per Germanos seu Francos cum in Gallia passim, tum in Italia ipsa quoque, factæ sunt, occurrunt. Nam & illis Occidentale Imperium acquisitum est vietis primo Longobardis, illorumque regno extinto, ipsa dein Roma subjugata, & in Germania & Septentrionem versus ad mare potentia latè, qua armis, qua spontanea populorum accessione propagata. Quanquam enim jam tum, in illis Francos inter & Saxones bellis, per Carolum Martellum an. 721. 732. perque ejus filios Carolmannum & Pipinum an. 743. 745. 753. 758. Franci plerumque superiores ad tributa quædam danda illos compulerant, tamen Carolus demum a. 772. bellum illud Saxonum inchoavit, quod triginta-

gintatribus annis, gestum, funestum tandem Saxonibus, Francis eos subjecit. Imprimis vero considerandum est, quomodo vastum illud Imperium, quod sub Carolo coiverat, divisum iterum fuerit, novo inde Germanico exorto, non omissis tamen statim omnibus ad reliqua illa juribus. Carolus quidem, tam vastarum terrarum dominus, sub trium regnum specie, Romani, Longobardici & Francici eas administrabat, horumque regnum titulos in suis Præceptis usurpabat, suo etiam modo quælibet ex illis regebat, uno tamen corpore sub uno capite manente. Quod & sub Ludovico Pio, plene in omnia jura patris succedente, mortuis ante patrem fratribus ejus, ita mansit. Inter illius vero filios, discordes inter se, post fatale illud ad Fontanetum prælium, divisione amplissimi regni facta, tria nova, publica status formula in omnibus distincta, exorta sunt, præterque Italicum cum titulo Imperatorio, & Francicum Occidentale, GERMANICUM seu Francicum Orientale, sub Ludvico II. Quorum quilibet Rex sua quidem seorsim administravit, conventus instituit, leges tulit, retento tamen ut par erat in hæreditariis regnis, sibi, si quid fratribus, eorumque liberis, contingere humanitus, successionis usitatæ jure. Cum igitur per Ludovici Imper. II., nullis filiis vel fratribus relictis, mortem an. 875, ad Patruum Ludovicum II. Germaniæ Regem, utpote majorem natu, non partantum, sed vel potius ad Dignitatem Imperatorem jus esset, Caroles Calvus tamen, junior patruus, prævenit, & corruptis Pontifice Italicisque principibus multa pecunia, ad Imperium pervenit.. Neque tamen idcirco vel Ludovico Regi Germaniæ,

C 3

ejus-

ejusque posteris, jus illud ademtum ; quin filius Ludovici Carolomannus, Italiam occupavit, quamvis titulo Imperatoris abstineret , ejusque frater Carolus, Crassus dictus, ad quem singulari felicitate omnes Ludovici patris terræ devenerant , totam Italiam, titulumque Imperatorium iterum accepit : post cujus tamen mortem Pontifices Romani Imperatoriam illam dignitatem, exclusis Germanis, transferre in Italicos Principes, intoleranda audacia, coati sunt. Et Francici quidem Occidentales Reges acquieverunt. Arnulphius tamen Carolomanno , licet ex contubernio tantum cum nobili fœmina, natus, ejusq; filius Ludovicus IV. aliquamdiu Imperatores fuerunt, oppositis licet illis Italicis generis aliis : Germania interim, eiq; adnexa Saxonia nostra, ex quo inter Ludovici Pii filios facta est divisio , regnata fuit per proprios Reges , sub nomine Francici Orientalis, nec , qui ex Carolingis Cæsaream dignitatem habuerunt , & non simul regnum Germaniæ , quicquam sibi in Germaniam arrogarunt , & quando Germaniæ Reges Imperium simul habuerunt, ut Carolus Crassus, Arnulphus, Ludovicus IV. Germaniam tamen, non ut Cæsares , sed ut Reges , administrarunt , annosque Imperii & Regni Francici Orientalis, id est Germanici in præceptorum subscriptiōnibus accurate distinxerunt, ut ex multis modo memoratorum Cæsarum hodieque superstitibus tabulis patet. A Caroli Simplicis quoq; temporibus separatum semper regnum fuit Francicum Occidentale à Francico Orientali seu Germanico, ita ut etiam Germanica lingua aboleri in Gallia inciperet, remaneret verò tantum in Germania. Quid igitur tum ad Germani-

manicum pertinuerit, quid vero ad Gallicum diligenter inquirendum est, ex monumentis & tabulis superstibus ejus ævi : quæ accuratè excusserunt, Viri Germanicarum rerum peritissimi, *Hermannus Conringius lib. de Finibus Imperii: & Obrecbtus in Prodr omo Rerum Alsaticarum.* Imprimis vero notandum est, quantum illa Ludovici Patris cum filiis, Ludovici filiorum dissidia inter se publicæ rei nocuerint, utque Francorum regnum Normanni, id est, Dani Suecique terra mariq; discerpserint. Neque vero gentibus illis occasio tantum hinc data est, quod inter se vicini, disidentes, & hinc invalidi essent, eos invadendi, sed ipsi discordes fratres ut suas redderent validiores partes, ad excidium communis patriæ, paganos ad vocare non erubuerunt. Lotharium enim *Nordmannos* subfidii causa introduxit, partemq; Christianorum illis subdidisse, & ut cæteros Christianos deprædarent, licentiam dedisse, diserte scribit *Nitbardus* lib. IV. Quid vero magis destruere maxima etiam imperia potest, quam ubi ambitionis inconsultæ prævalente œstro, solitariè regnandi cupidinis amore, fraternæque felicitatis odio, nec patriæ, nec salutis communis, nec religionis cura ulla est? Imprimis, cum post supra memoratum prælium ad Fontanetum, in quo quatuor Fratres tam atrociter pugnarunt, ut (loquor cum Appendice *Chronici Ivonis*) *Franciæ, Italiæ, Alemanniæ, Saxonie, Burgundiæ omnes pene milites* (intelligi per hos, more tum loquendi usitato, Equestris ordinis fieri debent, quamvis vulgarium militum maximam multitudinem periisse quoque, conjecturari in proclivi sit) *mutuis sese conciderent vulneribus*, nec Saxoniam, tanta

tanta majorum virtute partam, tueri potuerunt, nec Aquilonaris Provinciæ, Nomannis Slavisque proximæ, debitam curam, ipsi à majorum virtute degeneres, habuerunt. Recte in universum *Chronici Reischer-spergensis* audor p. 117. In ea, inquit, pugna ita Francorum vires attenuatae sunt, & famosa virtus ita informata (leg. infirmata,) ut non amplius ad amplificandos terminos regni, verum nec ad tuendos imposterum sufficeret. Merentur vero ad ea, quæ hactenus exposui Tertiæque hujus Periodi illustrationem legi, quæ prudentia & eruditione eximus *Job. Henr. Bœclerus* de rebus seculi à Christo nato IX & X. gestis peculiari commentario exposuit, præsertim ubi de Reip. notitia agit. Quo etiam illud pertinet, quod hoc tempore, concidente Regum Francorum auctoritate, Duces, Marchiones Comitesque dignitatum ac officiorum & magistratum nomina in proprii juris potestatem, eamque hereditariam convertere tentarent: id quod sequentibus annis magis invaluit, Regum ipsorum erga suos liberos, consanguineos, affinesque inconsulta indulgentia.

In Periodo Vta id imprimis considerandum, quomodo in supra dicto Franciæ Orientalis seu Germanico Regno succedens ex Saxoniæ Principibus Otto, non Italicum tantum, seu Longobardicum regnum sibi subjecerit, sed etiam Imperatoriam dignitatem adeptus, ita cum Romanis transgerit, interveniente juramento, ut nullum Imperatorem agnoscerent, nisi qui à Germanis Principibus electus, contra quam Hadrianus III. Pontifex, exclusis Francis, solis Italicis Principibus Imperii decus destinaverat.

Nec

Nec verò sibi tantum , suisque hæredibus , id jus ac-  
quisivit Otto, sed ipsi Reip. Germanicæ , ut prolixe do-  
cet *Conring. lib. de German. Imp. Rom. c. 10.* Ab illo  
igitur tempore , anno scilicet 962. in Germania eleæti  
Reges semper Electos Romanor. sese Imperatores ges-  
serunt , & vim majestatemque Imperii , & in Urbem  
Romam Dominium, nisi quatenus per Pontifices im-  
pediti fuerunt , sibi vindicare conati sunt . Et hæc  
quidem dissidia inter Cæsares & Pontifices Roma-  
nos , illis sua benè parta tueri , his eripere vo-  
lentibus , in hac imprimis Periodo , magna animo-  
rum æstu agitata , considerari debent , cum Imperium  
quidem suam ruinam illis maximam partem debeat.  
Id quod nec negare potest ex societate Jesu *Lu-  
dovicus Maimburgius* , in suis quinque libris de la-  
psu Imperii post Carolum M. Maximos enim nos Im-  
peratores , prudentia , animi magnitudine , & virtute  
bellica nemini secundos per illa tempora habuisse , ne-  
gari nequit : at per bella civillia , variasque artes ,  
novosque constitutos Cæsares , dirigenibus hæc , &  
concitantibus Pontificibus Romanis , cum præser-  
tim magna per Germaniam esset Episcoporum aucto-  
ritas , majestatem eorum & potentiam fractam , ni-  
mis manifestum est. Id enim notandum , Archie-  
piscopos & Episcopos , imò Abbates quoque , in Prin-  
cipum ordine , magnarum terrarum dominos factos ,  
qui tantum non semper sedi Romanæ erant addicti , etsi  
omnes terras suas beneficio Cæsarum possiderent .  
Illa præterea Civilia Bella , quæ inter Henricum IV  
& V. Impp. & Saxoniz nostræ principes , & dein  
contra Henricos Saxon. & Bavariæ ducos à Svevicæ

D

gentis

gentis Cæsaribus gesta proba consideranda sunt..  
Illa enim similitas post Henrici V. mortem statim in-  
choavit, & cum Lotharius Saxonæ Dux in Regem  
Germaniæ, propter virtutem bellicam contra Cæsa-  
rem toties monstratam, ad Imperialem apicem ascen-  
deret, Conradus & Fridericus, Sveviæ Duces, Henri-  
ci V. ex Sorore nepotes, ad se id pertiner rati, cum  
Lothatio, de eo regno contenderunt: cumque dein  
excluso Lotharii genero Henrico, Conradus III &  
& post Fridericus I. Augustum culmen ascenderent.  
implacabili odio Patrem, Filiumque, Henricum Leo-  
nem, prosequuti, non quieverunt, donec utroque &  
Bavariæ & Saxonæ Ducatibus non citra injuriam eos  
privarent. Neque enim vasta sua cogitata ineffectum  
deducere poterant, nisi his Æmulis prius extinctis.  
Ideoque & Henricus VI. posteris ejus gravis fuit &  
ipsam hæreditariam Urbem eorum Brunsvicum oc-  
cupare studuit, ut nullis contradictibus Imperium  
Domui suæ hæreditarium faceret, quod intendebat.  
Non tamen hoc erat in fatis, & conatibus ejus resti-  
terunt & contradixerunt, Saxonæ imprimis Princi-  
pes, ut disertè scribit *Gobelinus in Cosmodrom.* et. 6.  
c. 61. nec, præveniente licet Philippo Svevo, impediri  
potuit, quo minus tandem Ottoni Saxoni, Henrici  
Leonis filio, Imperiale diadema cederet. Quemvis  
etiam Fridericus II. Henrici VI. filius, à Principi-  
bus quibusdam electus coronatusque in Regem, Otto-  
nis regnum turbaret, & ipsa tamen & omnis ejus po-  
steritas (in Conradino quidem ultimo etiam miserri-  
mè, carnificis gladio) periret, cum æmula Domus  
hodie.

hodieque maximis in Imperio dignitatum titulis flo-  
reat, novis quotidie successibus illustrior.

Vita Periodus à Friderio II. ad Carolum IV magni Imperii in se corruentis exemplum exhibit, quod variis de causis debilitatum, erga exterorū invalidum, inque membris suis divisum, vim omnem & potentiam atque auctoritatem amisit, finitimorum ex abscessis partibus crescentibus regnis. Nam & per non necessarias, & infelices, &, ad nutum insidiantium Pontificum sub pietatis praetextu, institutas frequentes ultra marinas à Cæsaribus, ad recuperandū terram sanctam, Expeditiones, occidente quasi in orientem migrante, militibus & argento omnem exhauserant Germaniam: major quoque in novissimis Impp. acquisitorum nuper Hierosolymæ, & utriusque Siciliæ regnorum, quam Germaniæ, cura, & in felix tandem Ottonis IV. contra Gallum expeditio, vires Imperii valde frege-  
rant. Id verò nocebat quam maximè, quod in electivo regno raro in unum aliquem consentirent Princi-  
pes, Pontifices autem Romani totum electionis nego-  
tium ad se pertrahere niterentur, & sibi non gratis alios  
opponerent, prioresque de solio dejicere variis arti-  
bus niterentur, imo eosdem modo elevarent, modo  
deprimerent iterum, prout suis eos conatibus favere  
vel obsistere deprehenderent; quod in Ottone IV. &  
Friderici II. imprimis patuit, imò per totam hanc sex-  
tam Periodum ejus exempla, ad ruinam totius Im-  
perii & Germaniæ spectantia, cernere licet, quæ in  
usum Reip. consideratu dignissima sunt. Si enim ve-  
rum fateri volumus, raro amplius ambiebatur à quo-  
quam Imperialis ille sumnus apex, sed venalis expo-  
nebatur

nebatur, instarque exoletæ & corruptæ mercis, em-  
torem vix inveniebat, adeoque modò huic, modò illi  
quasi obtrudebatur: prudentibus, & qui non speciem  
externam tantum, sed interiora regni, Principumque  
discordiam, & fisci inopiam intuebantur, manum de  
tabula tenentibus. Sola Friderici I. Imp. ambitiosa  
posteritas retinere cupiebat. Non, quod Fridericus II.  
ejus impotentiam & inopiam ignoraret, cum et-  
iam uxore ejus Isabella, Anglorum Regis filia id agno-  
sceret, & Regina potius quam Imperatrix vocari  
vellet, ut notat *anonymus de factis in*  
*March. Trevis. l.4. c.9.* sed, quod vel firmata potentia  
sua præ aliis illud se tueri, & in familia hæreditarium  
id tandem, & tum formabile iterum reddere se posse  
Imperium, spe non dubia, præsumeret, vel quod  
sine dedecore partum decus relinqu non posse glo-  
riosus princeps judicaret. Ideoque & Henri-  
cum filium, puerum adhuc, Romanorum Regem  
eligi, eique fidelitatem jurare Principes curavit, &  
dein quoque, illo immorigero, & remoto, Principibus  
à vinculo subjectionis solutis, alterum filium Conra-  
dum ab iisdem, *tanquam Davidem Sauli*, subrogari  
fecit, ceu docent litteræ Principum Imperii, quas edi-  
dit *Baluzius lib. I. Miscellam.* Interim Pontifices, qui-  
bus Friderici posteritas omnis jam maxime exosa  
erat, aliis atque aliis obtulerunt Imperium, quasi in sua  
id esset manu. Vivente enim adhuc Friderico, Papa  
Gregorius Ottонem Cardinalem de Carcere Tulliano  
Legatum non in Germaniam tantum, sed Daniam quo-  
que misit, ut hostes Imperatori procuraret, & novos  
Imperio procos, quo tempore Ottонem quoque Du-  
cem

cem de Lyneburg eum accessisse notat. *Gotofredus Monachus in Annalibus* ad a. 1223. sed frustra. Nec minus inanis oblatio fuit, quam idem Gregorius a. 1239. de Imperio fecit Roberto Comiti Atrebatum, Regis Galliæ fratri, missis litteris ad Regem, quibus significavit se *de liberatione & traditu omnium fratrum*, Robertum Friderico substituendum elegisse, quas litteras servavit *Mattbaeus Paris. in his. Anglorum*, sub-jungitque circumspectæ prudentiæ responsum Francorum, conditionem non accipientium, nec Papæ auctoritatem in Imperii translatione agnoscentium. Nihilominus deinde Innocentius IV. Papa, faventissimus quamvis antea Friderio, dum Cardinalis esset, eum in Lugdunensi Concilio excommunicavit, Principibusque Germaniæ, ut alium eligerent, mandavit, effecitque, ut illi Henricum, Thuringiæ & Hassiæ Landgravium, qui jam Procuratoris S. Romani Imperii nomine antea insignitus fuerat, eligeretur, & fugato Conrado Friderici II. filio, Regnum Germaniæ obtineret, quo tamen non diu gavisus, mortuus est. Nec tamen cessavit Innocentius iterum Henricum Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem ad regnum vocare, qui, cum se ipsum ætatis prætextu excusasset, Wilhelmum, ejus nominis II. Hollandiæ & Zelandiæ Comitem V, juvenem XX. annorum, militari virtute celebrem, tanquam Imperio dignum, commendavit. Et hic à multis, aliis adhuc Fridericum sequentibus, lectus Juvenilisque ætatis fervore regimen aggressus, in Germaniam venit, & omnibus modis, accepta etiam in uxorem Ortonis Duci Brunsv. & Lynæb. filia, partes suas roboravit, & ad Pontificem in Gal-

liam (non Italiā , ceu habent Belgici Scriptores) cum Archiepiscopo Trevirensi profectus, impetrandi ab ipso diadematis Imperialis, omnisq; auxiliī spem accipit. Quamvis autem & Friderici filium Conradum prælio vicisset, Friderici quoque mors intervenisset, non penitus tamen contraria factio extincta est, multumque adhuc Wilhelmo negotii ad Rhenum dedit, qui tamen, cum interea Frisiis rebellibus compescendis magnum exercitum collegisset, paullum à castris sine ullo comitatu progressus, fracta glacie in aquam incidit, & à Frisiis imperfectus est. Post cujus mortem novo exemplo, Germanis præteritis, ad externos itum est, cumque Moguntinum Archiepiscopum, ab Alberto Duce Brunsv. & Lynæb. in captivitate detentum, magna pecuniæ summa numerata, liberasset Richardus, Cornubiæ Comes, Angliæ Regis frater, Moguntini & Coloniensis Archiepiscoporum Palatiniique Principis ope, in Regem Germanorum electus est, Aquisgranique coronam accepit : Alii vero Principes cum Arnaldo Trevirensi Archiepiscopo, Alphonsum Hispaniæ Regem, Brabantiaæ Ducis & Bohemiæ Regis consanguineum, elegerunt. Ex his duobus, quamvis Richardus regimen aggressus Papæ electionem suam significasset, & à sibi faventibus pro Rege agnitus, perque Urbes ad Rhenum magnificè, nec sine regiis donis, circumductus, pauca tamen in Republ. ordinavit, cumque Basileæ jam pecunia deficeret, derelictus, Angliam repetiit, titulo Romanorum Regis semper Augusti, ut ex Sigillo ejus apud *Olivarium Vredum in Genealog. Comit. Flandriæ* videre est, contentus. Alphonsus vero prudentior, titulum quidem

dem accepit, at Germaniam non intravit, tamque arduam, rem curia Toleti celebrata, apud Principes regni in deliberatiorem deduxit, qui callido consilio, ut in Italia se primo firmaret, & magnificam legationem ad Curiam Romanam mitteret, & ad accipendum Imperiale diadema terminum à Pontifice peteret, autores fuerunt, ut ex ejus ad Archiepiscopum Vesontium epistola patet. Interim absens pro Rege Romanorum se gessit, & interdum ad Principes Imperii decreta misit, tituloque Regis Romanorum in diplomaticis & sigillis usus est, mortuo interea Richardo, nec deposuit, donec urgente Gregorio X, intercedente etiam pro Rudolpho Friderici Imp. filia, ut est in *Cron. Magno Belg.* p. 292. illi cederet. Fuit igitur sub his æmulis, & maximam partem absentibus, Interregnum potius, quam Regnum, tandemque Gregorius Pontifex mandavit Principibus, ut ad novam electionem procederent, qui neglecto Ottocaro Bohemiæ Rege, ultro se offerente, tandem Francofurti, non potentiae, sed virtutis bellicae & prudentiae habita ratione Comitem Habsburgium Rudolphum elegerunt, qui, cum se affinitatibus potentiorum per filias firmasset, partim prudentia, partim vi, non pauca ad meliorem statum in Cermania reduxit. Haec tenus enim Imperii bona, quasi nullo certo capite, & ipsa nullius essent, invaserat, qui potuerat, at Rudolphi Comites & Barones de Rheno & Franconia, & Svevia & Bavaria, *castra & civitates & terras, quas tempore vacantis Imperii, scilicet à temporibus Friderici, occupatas tenuerant, voluntarie resignarunt*, ut loquitur *Stero Altabensis in Annal. ad an. 1277. Quorum tamen*

men exemplum non omnes potentiores imitati sunt,  
& Ottocraius Bohemiæ Rex, qui Anstriam Stiriam, &  
Camiolam, Carinthiamq; tempore vacantis Imperii,  
ad se traxerat, vi compellandis fuit. Nec etiam au-  
toritatem Imperii in Italiam reducere valuit, nec in  
domo sua continuare regnum, quamvis maximè vellet,  
præveniente Moguntino Archiepiscopo, ut ad Adol-  
phum Nassovium id perveniret. Cum tamen ille dein  
in Principum odium & contemptum incideret, Alher-  
to Rudolphi filio viam ad Regnum aperuit, quod &  
Principum electione, & Papæ, in odium imprimis Gal-  
liæ Regis, confirmatione obtinuit, suæque familiæ  
commodis admodum studuit. Post ejus tamen obi-  
tum penè contigisset, ut idem Galliæ Rex Philippus  
Pulcher, Electoribus in suas partes per amplas largi-  
tiones deductis, Regnum Germaniæ obtinuisset, nisi  
Papa & vires ejus, & animum à se ab alienatum me-  
tuens omnibus modis obstitisset. Electus igitur est  
Francofurti Henricus Comes Lücelburgius, & Aquis-  
grani coronatus, magni animi princeps, quiue au-  
toritatem Imperii, ut in Italia inchoaverat, restituere  
in integrum potuisset, si diutius regimen gerere, quod  
ultra quicquennium non fecit, per fata licuisset. Tum  
vero iterum ultra annum interregnum fuit, cumque  
ad electionem devenissent Principes, inter se divisi, qui-  
dam Francofurti Ludovicum Bavariæ Ducem, alii  
Bonnæ Fridericum Austriacum elegerunt, qui utrin-  
que suorum adhærentium favore nisi, acri bello con-  
certarunt, donec interveniente clade, & tandem mor-  
te Friderici, Ludovico soli regnum maneret, sed turbu-  
lentum admodum, cum jurium Imperii per Italiam  
strenuus

strenuus assertor, plures ordine Pontifices infensissi-  
mos haberet hostes, qui ad pristinas artes, excom-  
municationes, & depositiones, reversi sunt, & Cle-  
mens VI alium Cæsarem in illius locum eligi, anni-  
tente Trevirensi, fecit, Carolum nempe Bohemum,  
Henrici Septimi nepotem. Verum mortuo mox Ludo-  
vico, reliqui Principes in Caroli electionem non consen-  
serunt, & Eduardo Anglo regnum detulerunt, eoq; re-  
cusante, Friderico Misniæ Marchioni, quo ob vale-  
tudinem id etiam declinante, Güntherum Comitem  
Schwartzburgicum, virtutis militaris nomine, elege-  
runt, qui & Imperium, magna spe excitata, aggressus  
est, Caroli tamen opibus cedere tandem coactus, &  
non longè post mortuus, Carolo soli regnum reliquit.  
Quem vero putamus Imperii statum in ista, quam  
breviter tantum ex posuimus, confusione fuisse? quæ  
apud vicinos & exterios majestas potuit esse vel poten-  
tia? raro uno existente Cæsare, aut per paucos annos,  
quin opponeretur ei novus, etiam externus aliquando,  
ortis hinc continuò non bellis tantum, inter æmulos,  
sed perpetuis inter Principes ipsos quoque dissidiis, qui  
vel huic, vel illi parti adhærebant. Quæ potuit  
esse publicæ rei cura & contra externorum conatus  
providentia? Hinc factum, ut nonnulli potentiores,  
in finibus præsertim, se subducerent Imperio plane,  
alii vicinorum minus potentum damnis suas ditiones  
augerent, plures ipsa Regum jura in vaderent, & ve*ctigalia*,  
fiscoqne debita sibi raperent, ut paulo ante  
exposui, ipsis interdum Regibus justo liberalioribus, &  
Principum favorem, ut suis æmulis pares aut superio-  
res essent, lenocinantibus. Cum igitur, ad quem in-

E

jurias



juriā illas, querelasque suas deferrent, oppressi non  
haberent, de se defendendis ipsi solliciti, quod singuli  
non poterant, uniti & per fœdera conjuncti, propul-  
sare studuerunt, Comites imprimis, Barones & Urbes,  
quibus dein Principes sese junxerunt. Sic natum est  
Fœdus Principum utriusque ordinis, dominorum  
que aliorum, & urbium ad Rhenum, cui tamen etiam  
Monasterium in Westphalia, & Brema accessit, si non  
fallit Catalogus fœderatorum in *Annalibus Sterouis à T. i. Antiq. leđ. editis, & Chronicā Augustensis Freberi*  
ad 1247. annum, qui elegerunt sibi Capitaneos, & de-  
struxerunt castra noxia, & persecuti sunt latrones, pa-  
cemque civilem omnibus modis procurarunt: quod  
tamen, ut sub Wilhelmo Rege cœpit, ita post illius  
mortem mox cessavit, & ad priorem statum omnia  
relapsa sunt. Alia vero in Saxonia pepigerunt fæde-  
ra Principes, & quidem Quedlinburgi a. 1270, quo-  
rum catalogum in Chronicō Mansfeldico ad hunc an-  
num enarrat *Cyriacus Spangenbergius*, & a. 1288. Grim-  
mæ, de quo idem *Spangenberg* in *Chron. Querf. l. 4. c. II.*  
& *Fabric. in Suppl. Annal. urb. Misn.* ad an. 1288.  
de sopiendis inter se dissidiis, & illatis injuriis mutuo  
auxilio propulsandis, & pace publica ubique conser-  
vanda. Nam & commercia impediabantur, & itinera  
latronibus infestissima erant, & hi receptus habebant  
in arcibus suis, & castellis, nobilesque ipsi horum pos-  
sessores ex rapto vivere non erubescabant, & hoc secu-  
lum vocabatur. Evidem quibus ex nobilibus genero-  
fior mens, & incorruptæ nobilitatis spiritus erat, hæc  
maximopere improbabant, ideoque & suas arces mu-  
niebant magis, & novas ædificabant, & ut contra ma-  
jorem

jorem vim securi quoque essent, cum aliis castella te-  
nentibus ad mutuas defensiones se confederabant, imo in tutelam se potentiorum tanquam vasallos da-  
bent, quæ vera est Ganerbiorum, & hinc sui gene-  
ris Burgraviorum, origo, ut *in Partitionibus Feuda-  
libus Ritterhusius* l. I. c. 17. egregie docet, & ejusmo-  
di aliquot arces in superiori Germania recenset, qua-  
les tamen etiam viciniæ nostræ non defuerunt, ut  
*in Topographia Ducatus Brunsvic. & Lunæb. Meriani*,  
in voce Windhausen / pluribus legere licet; quæ tamen  
Castella ipsa etiam alicubi in receptacula latronum tan-  
dem degenerarunt. Quibus ipsis de causis, quamvis &  
aliis, etiam Fœdus Hanseaticum, quod dicitur, seu Hansa  
Teutonica originem suam habuit, initio quidem tan-  
tum inter celeberrima illa duo emporia, Lubecam &  
Hamburgum conventione an. 1241. facta, commer-  
ciorum liberius & securius exercendorum causa, qui-  
bus deinde vicinæ Vandalicæ & Saxoniciæ urbes, &  
plures aliæ passim, paris securitatis fruendæ causa, se  
junxerunt & in Hansam receptæ sunt. Non absimi-  
les quoque confederations inter urbes in superiori  
Germania factæ sunt, exstantibus ipsis Fœderum ta-  
bulis, quas servavit *Lehmannus in Chron. Spirensi*, re-  
periunturque inter Diplomata & Documenta, quæ  
*Æneæ Sylvii Histor. Frid. III.* accesserunt p. 237.  
usque ad p. 250. Ne de fœdere Svevico nunc dicam  
Ex illa vero fœderum faciendorum necessitate, cui-  
vis æstimare licet, qualis fuerit Germaniæ tum  
temporis & quam miser status, etiamsi deficienti-  
bus Historicis, non tam sigillatim omnia exposita  
sint. Ipsæ tamen illæ confederations non omnibus pla-  
cuerunt, non principibus, non militibus, sed neg. prædoni-  
bus

*bus & maxime bis, qui habebant manus pendulas ad trapanam, ut loquitur Albertus Abbas Stadensis, de Moguntino fædere per Walhadonem a. 1255. facto sub finem Chron.* Nec Rudolphus, quamvis plurimas arces prædonum, in Thuringia imprimis destruxerit, nec Henricus VII, nec Ludovicus remedium huic malo sufficiens inventire potuerunt. Interim in hac sexta Periodo, propter turbas quæ circa Electionem Regis Romauorum cum propter numerum eligentium nimis magnum, tum propter Papam Romanum, illi augusto negotio se semper cum damno republicæ miscentem, & ad paucos, Officiales Imperii, electio pervenit, & id conclusum est, ut Rex à principibus in Germania electus, etiam citra Romanam benedictionem, Imperiali statim auctoritate uteretur, nec illa indigeret; in quam rem legere est, quæ de confœderatione Electorum Imperii in comitiis Rensensibus A. 1338, facto deinde decreto, pluribus notavit Electoris Bavariæ Cancellarius Job. Georg. Hervartus in *Apologia contr. Bzovium* ad illum annum

VIIma Periodus Germanici Imperii novam quandam faciem exhibet. In Italia quidem concidit magis Imperii auctoritas, Principibus, Urbibusq; libertatem affectantibus; non omne tamen amissum in eam Imperii jus est, sive culpa Caroli IV, quem seorsim egregie defendit Cl. Schürzfleischius, sive aliorum Impp. quod pluribus exponit Nob. Conringius lib. de *Finibus Imperii*: Interim tamen Germaniæ per salubres constitutiones & leges, & pace publica, ita provisum est, ut per illas magis, quam per vim & potentiam, conservatas vasti olim Imperii reliquias meritò dixeris, quas

quas paucis attingere , pretium operæ fuerit , potiores  
salem, cum pacis non minus , quam belli , opera ex  
historia discere fas sit. Conqueritur enim de Historicis  
ipsis magnus ille Angliae Cancellarius *Franciscus Baco*  
*de Verulamio in Historia Henrici VII.* quod non fa-  
tis referant leges maximè memorabiles , quæ tempo-  
ribus , quibus scripserunt , latæ sunt , cum sint *Leges*  
*Acta pacis principalia.* *Etsi enim* , inquit , *in volumini-*  
*bus legum ipsarum maxima ex parte reperiri soleant* ,  
*neutquam tamen hoc tam benè informat judicium Regum*  
*& Confiliariorum & Virorum Civilium* , *quam si vide-*  
*ant eas descriptas & quasi depictas in tabulis temporum:*  
scilicet , quia tum recluduntur origines & præviæ oc-  
casiones legum latarum , sine quibus ipsam legum  
mentem capere sæpe non licet. In hac igitur VII<sup>ma</sup>  
Periodo considerandæ quoque sunt Leges publicæ , per  
quas asserta Imperii & Imperatoris auctoritas contra  
Romanam sedem , insistentibus sequentibus Cæsaribus  
Ludovici Bavari , ut modo dixi , vestigiis : ad quod  
non parum duo Concilia , Constantiense & Basileense  
contulerunt : Ecclesiæ quoque Germanicæ sua liber-  
tas asserta , & sub Friderico III. certa Concordata  
cum sede Romana 1447 facta. Illis vero turbis , quæ  
in Imperio circa Electionem oriebantur , certis Eli-  
gentibus lege publica constitutis , reliquisque , quæ eo  
pertinent , determinatis , salutare remedium attulit Ca-  
rolus IV , publicatâ , quæ in specie ita dicitur , Aureâ  
Bullâ. Nec minus tandem per saluberrimas leges  
coercita est , illa , quæ in' omni Germaniæ parte quasi  
licita jam per plures annos invaluerat , alios diffidan-  
di , sibique jus armata manu quærendi , & ex latroci-

niis vivendi, pessima consuetudo, Pace publicâ promulgatâ. Erat jam tum sub Carolingis, & quidem Lothario II. Imp. Pacis Constitutio Confluentiae facta an. 860. quæ hodieque exstat, sæpiusque in Curiis pax stabilita, etiam juramentis. Rudolphus dein in publicis etiam Comitiis de prædonum arcibus diruendis egerat, & longe plurimas eorum solo æquaverat. Et fuit sane, uti necessarium, ita solemne quasi, ut singuli Imperatores in Comitiis, vel primis, vel sequentibus, de Pace publica agerent, eamque jurari facerent, constitutionibus de ea publicatis. Quod de Friderico I. an. 1187. ante abitum in terram sanctam, Ottone IV. Friderico II. non tacent Annales. Post quos Rudolphus etiam in publicis Comitiis de pace publica constitutiones edidit, quem secuti Adolphus & Ludovicus Bavarus. Ita tamen inveteratum erat hoc malum, ut tolli vix posset, & vetaretur semper, & retineretur. Cum abesset à Germania Carolus IV, hoc denuo invalescebat, unde & civitates iterum ad fædera cogebantur, ideoq; & A. 1353. Cæsar pacem publicam constituit, & *Aureæ suæ Bullæ* caput VII. *de diffidationibus* inseruit. Nec Wenceslaus, de cætero, rerum Imperii satis negligens, pacem neglexit Francfurti an. 1389. Mirari verò satis nequeas, tam gratam fuisse multis rerum confusionem, tamque invisam ejus sublationem (quod modo ex *Alberto Stadensi* dixi) ut Constitutiones illæ de pace publica non nisi ad certos annos tantum, ut sub Rudolpho Wurzburgi a. 1287. ad tres, Spiræ a. 1291. ad sex, (ut apud *Lebman. Chron. Spir. l. V. c. 108.* legere est) sub Adolpho Coloniæ iterum ad tres annos, sub Sigis-

Sigismundo in Comit. Norimb. a. 1431. ad unum tan-  
tum annum fierent. In Albertitamen II. Pacis publi-  
cæ formula nullius temporis mentio fit. Eam inu-  
per Juris omnis & rerum Germanicarum consultissi-  
mus Vir *Schilterus* Instit. Jur. publ. t. II. ex Archivo  
Urbis Argentinæ edidit, quasi in Comitiis a. 1437. ab  
Alberto II. factam, in qua non tantum Pax Constitui-  
tur, sed & Circuli IV ad pacem melius conservandam  
instituuntur. Dubites tamen, an unquam illa constitutio  
publicata sit: certè a. 1437. non potuit id fieri ab Alber-  
to II., cum is tum nondum in Imper. electus esset.  
In Comitiis a. 1439. ab Alberto II. Imp. Pacem Publicam  
renovatam esse scribit *Lehmannus*, & tum fortassis et-  
iam hæc formula concepta, non autem publicata est,  
illo mox mortuo, uti etiam in fine sine die & con-  
sule, sine ordinariis subscriptionibus, mutila à *Schiltero*  
edita est. Nec etiam hujus Albertinæ constitutionis,  
præaliis tamen memorabilis, meminit Fridericus III,  
sive in Reformatione a. 1441. sive in Rescripto de la-  
tronibus ad Senatum Norimbergensem an. 1476. cum  
tamen aliorum Antecessorum de Pace publica decreta  
recenseat. Uti nec Circulorum IV. pacis servandæ  
causa in Albertinis tabulis institutorum vel Frideri-  
cus, vel Maximilianus I. in Pacis publicæ Executione  
Wormatiæ a. 1495. mentionem faciunt: non omissuri,  
si Albertina illa constitutio publicata fuislet. Nec  
Circulorum ad pacis executionem tendentiuin Institu-  
tionis, demandataq; illis executionis initium ab Alber-  
tino decreto Carolus V. in Explicat. Pacis Publ. in  
Comit. Norimb. a. 1522. sed tantum ab iis, quæ in  
Trevi-

*QK 11 n / 500*  
Trevirensi, & Coloniensi curiis 1512. sub Maximiliano I. constituta sunt, repetit. Verum hæc obiter. Multa enim dein circa Pacem Publicam & Circulos Imperii ordinata sunt, erectis quoque Supremis Tribunalibus, sed quæ ad sequentem Periodum pertinent.

Et hîc desino. Hæc enim præfari tantum de primis Historiæ Germanicæ Septem Periodis volui, ut quæ sibi potissimum ex Patriæ, etiam remotioribus, rebus gestis, cognoscenda sint, studiosa civilis doctrinæ juventus intelligat. De novissimis enim Periodis, maxime cognitu necessariis, non ut in primis, prægustum dabo, sed ad ipsas lautas & opiparas patriæ historiæ dapes Publicis Lectionibus volentes adducam, & à Maximiliano I. ad nostri usque seculi prope finem, res maxime memorabiles, vel exponam ipse sufficienter, vel ad Scriptores optimos, uberioris scientiæ curiosos, fideliter remittam. Valete, & Germanicarum rerum, qui Germani estis, notitiam vobis mature compare. P.P. in Academia Julia. Finiente anno cIɔ Iɔ c XCVII.



109+

